



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Dispvatio Decima Septima. De potentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

DISPUTATIO XVII.

De Potentia Dei.

SECTIO PRIMA.

An in Deo sit potentia distincta ab essentia, & reliquis attributis?

Aristotel.



DVPLEX est potentia, teste Philosopho §. Metaph. c. 12. actiua & passiua; illa definitur, principium transmutandi alterū in quātum alterum; hæc transmutandi ab altero in quantum altero. Hæc à Deo abesse, euidenter ostendit perfectio actus puri, quæ omnem potentialitatem, cū qua necessario cōiuncta est potentia passiua, à Deo remouet: illa, cū sit perfectio simpliciter simplex, nullā includens imperfectionem, omnino Deo concedenda est. Ceterum duplex potentia actiua in Deo considerari potest, altera ad intra, altera ad extra; & ad intra quidem adhuc duplex, altera respectu actuum notionalium, altera respectu actuum essentialium. Prior, cū distinguatur realiter à termino producto, habet veram & propriam rationem potentie. Posterior autem, cū non distinguatur ex natura rei ab actu, respectu cuius dicitur potentia; non enim intellectus & voluntas in Deo ex natura rei distinguuntur ab intellectu & volitione, nō videtur illi propria ratio potentie competere; nam hæc ad minimum, iuxta allatam Philosophi definitionem, requirit realem distinctionem à termino producendo.

2. Quare dicendum est, respectu actuum essentialium non esse in Deo potentiam propriè dictam, ob rationem assignatam, quia potentia propriè dicta postulat talem distinctionem à termino producendo. An autem respectu huiusmodi actuum sit saltem perfectio ipsa potentie actiue, esto non sit cum reali distinctione termini dubitari potest. Ratio verò dubitandi est, quia vt in Deo sit aliqua perfectio formaliter, non est necesse, vt illa sit ex natura rei distincta ab alijs perfectionibus: est enim in Deo formaliter sapientia, formaliter bonitas sine distinctione bonitatis à sapientia. Igitur etiam si intellectus, & voluntas in Deo non distinguantur ab intellectu & volitione, adhuc non repugnat, in Deo esse ipsam perfectionem potentie intellectiue, & volitiue. Confirmatur, nam distinctio suprà positiuam perfectionem rei non addit, nisi solam limitationem in se, & diuisionem

ab alio, quæ limitatio & diuisio suprà positiuam entitatem rei non addit, nisi puram negationem.

3. Pro cuius rei explicatione, duplex perfectio distinguenda est in potentia cognoscitiua, & volitiua, altera percipiendi & appetendi obiectum, altera producendi actum. Priorem perfectionem habent intellectus & voluntas Diuina, etiam si nō distinguantur ab intellectu & volitione. Vt enim hanc perfectionem habere possit potentia, non est necesse, vt distinguatur ab actu, imò quanto magis est idem cum actu, tanto magis est perceptiua, & appetitiua obiecti; nam hanc perfectionem participat potentia in ratione causæ formalis, vel quasi formalis, quæ quò magis est idem cum subiecto, eò magis participatur à subiecto. Posteriorem verò habere non potest, nam hæc consistit in virtute productiua actus, cuius si productio implicat, implicabit & virtus ipsa productiua actus. Cū igitur implicet productio actus intellectiui & volitiui Diuini, implicabit & virtus ipsa actus Diuini, defectu cuius virtutis productiue non potest dici, in Deo esse potentiam actiuam intelligendi, aut volendi; nam hæc essentialiter importat virtutem producendi actum, vt ex allata Philosophi definitione constat. Hinc tamen non sequitur, aliquam perfectionem deesse Deo; quia, cū hæc includat imperfectionem, nempe distinctionem potentie ab actu, non est perfectio simpliciter simplex, & consequenter nec Deo concedenda.

4. Vnde sola cōtrouersia superest de potentia actiua ad extra, quam primò certū est, inesse Deo, nam hæc perfectionem dicit sine imperfectione. Cū enim Deus, vt ex disputatis constat, sit quo melius, excellentiusque excogitari non possit, tribuendum est illi esse omnium perfectissimum: tale est esse illimitatum in omni genere perfectionis cū virtute producendi, quidquid contradictionem non implicat. Ergo tale esse tribuendum est Deo. Minor patet, quia posse se ipsum communicare est aliqua perfectio, quam non habet, qui se ipsum communicare non potest.

5. Secundò, certum est, quidquid recentiores aliqui opinentur, hanc potentiam nulum includere ordinem realem ad creaturas, licet concipi non possit sine creaturis, non propter respectum realem ad illas, sed propter essentialem connotationem earum, fundatam in essentiali dependentia ipsarum creaturarum à Deo, ut à primò ente.

6. Tertio, certum etiam est, posse evidenti discursu demonstrari, hanc potentiam esse in Deo. Nam licet inter Scholasticos controversum sit, an naturali ratione constet, in Deo esse omnipotentiam respectu cuiuscunque contradictionem non involuentis, tamen nemo dubitat, potentiam activam ut sic, ex effectibus creatis in Deo evidenter concludi. Nam cum ex effectibus creatis evidenter cõcludatur, esse vnum principium primum productivum rerum omnium, ex iisdem evidenter cõcludi oportet, esse vnum primum ens cum aliqua potentia activa producendi omnia.

7. Quarto, certum tandem est, huiusmodi potentiam non distingui ex natura rei ab essentia Divina, reliquisque attributis. Cum enim hæc sit perfectio absoluta communis omnibus Divinis personis, non potest ex natura rei à reliquis Divinis perfectionibus siue absolutis, siue respectivis distingui: nam ea tantum in Deo ex natura rei distinguuntur, quæ relativiè opponuntur. Sola igitur controuersia superest de distinctione virtuali, an ea virtualiter cum aliquo fundamento in re distinguatur ab essentia, cæterisque attributis Divinis.

8. PRIMA sententia negat, potentiam in Deo distingui ab essentia, & reliquis Divinis attributis. Fundamentum est, quia potentia Dei est eminentialis causa omnium possibilium: hanc autem perfectionem habet Deus ratione solius essentiae; nam ratione solius essentiae habet, ut sit virtus illimitata in omni genere perfectionis, qualis debet esse potentia Dei respectu omnium possibilium.

9. SECUNDA sententia affirmat, potentiam productivam ad extra non solum distingui ab essentia, sed à reliquis etiam attributis intellectus, & voluntatis. Est Durandi in 1. distin. 38. quæst. 1. Aureoli dist. 42. art. 2. propos. 2. Rubionis quæst. 1. art. 1. Suarez. lib. 3. de Divinis attributis, cap. 9. numer. 2. Zumel 1. part. quæst. 25. art. 1. disp. unica, concl. 3. Probât primò, quòd illa distinguatur ab essentia. Nam essentia secundum explicitam rationem suam importat solam rationem essendi, ut constitutivam Deitatis in ordine ad se: potentia verò activa importat principium productivum creaturarum ad extra.

10. Quòd autem distinguatur ab intellectu & voluntate, probant secundò: Nam illud habet formalem rationem potentiae activæ ad extra in Deo, à quo immediatè manant effectus creati: sed effectus creati non manant immediatè ab intellectu & voluntate,

sed à virtute productiva, ratione distincta ab intellectu & voluntate: ergo. Maior patet, nam potentia activa est immediatum principium effectus: ergo illud habet formalem rationem potentiae activæ, à qua immediatè manat effectus. Minor probatur, nam ab illa ratione manat immediatè effectus, quæ continet virtualiter effectum, cum debeat effectus in causa contineri: atqui intellectus & voluntas non continent virtualiter effectus creatos. Minor probatur, nam ea ratio continet virtualiter effectum, quæ habet aliquam similitudinem in essendo cum ipso effectu; cum omnis productio fieri debeat per aliquam assimilationem producti ad producentem, & hoc idè, quia omnis productio est aliqua participatio esse ipsius producentis, quod producat mediatè actione communicat producto. Sed quod habet similitudinem in essendo cum effectibus producibilibus non est intellectus, & voluntas, sed ipsa essentia Dei, ut illimitata in omni genere perfectionis possibilis, quæ quatenus supra rationem essendi addit vim productivam, induit formalem rationem potentie. Minor constat, quia intellectus, & voluntas secundum explicitam rationem non important perfectionem illimitatam in tota latitudine essendi. Quòd autem hæc sit necessaria ad constituendam formalem rationem potentie activæ in Deo, probatur; quia potentia activa in Deo debet continere perfectiones omnium possibilium, quæ cum sint infinitæ in tota latitudine entis, debent eandem infinitatem & illimitationem explicite supponere in causa.

11. Tertio probant, nam illa virtus, quæ secundum propriam rationem, & modum operandi indifferenter se habet ad producibilia, & non producibilia, non potest habere formalem rationem principij productivi: sed intellectus, & voluntas secundum propriam rationem & modum operandi indifferenter se habet ad producibilia, & non producibilia; igitur non possunt habere formalem rationem principij productivi. Minor patet, nam intellectus & voluntas ex proprio modo operandi indifferenter feruntur ad ea, quæ sunt producibilia, & quæ non sunt producibilia; æquè enim per suos actus feruntur ad Deum, qui producibilis non est, atque ad creaturas, quæ producibiles sunt. Maior probatur, nam virtus, quæ æquè se habet ad producibilia, & non producibilia, habet rationem formalem diversam, ab ea, quæ tantum se habet ad producibilia; cum ratio formalis vnius sit univocalior, quàm ratio formalis alterius.

12. Confirmatur, quia intellectus, & voluntas feruntur ad obiecta intentionaliter, non attingendo illa realiter, sed tantum obiectivè, & grammaticaliter. Potentia verò fertur ad suum obiectum realiter, attingendo illud effectivè. Unde obiecta extrinsecè tantum denominantur cognita, & volita, ab actibus intelligendi,

& volendi,

Aureolus.
Rubio.
Durandi.
Suarez.
Zumel.

& volendi, subiectiue manentibus in intellectu, & voluntate: effectus verò realiter accipiunt esse à potentia productiua, mediâ actione transeunte, in ipsis recepta.

13. Quartò, illud habet formalem rationem potentie in Deo, quo tantum manente, & reliquis omnibus sublatis, adhuc maneret vis productiua creaturarum: sed sublatis per impossibile intellectu, & voluntate à Deo, adhuc maneret vis productiua creaturarum: Maior constat. Minor probatur, nam adhuc sublatis intellectu, & voluntate à Deo, maneret continentia eminentialis creaturarum, in qua immediatè & proximè fundatur omnipotentia Dei.

14. Confirmatur, nam vis productiua immediatè sequitur ad esse, vnde reperitur etiam in entibus non cognoscitiuis: intellectus autem & voluntas non sequuntur, nisi ad tale vel tale esse determinatum: arqui esse ratione præcedit tale esse: ergo etiam vis productiua, quæ immediatè sequitur ad esse, in Deo ratione præcedit intellectum & voluntatem.

15. Quintò, eundem ordinem rationis seruare debent inter se ea, quæ solâ ratione differunt, quem ordinem realem seruant inter se ea, quæ realiter differunt inter se. Atqui intellectus, voluntas, & potètia in creaturis, in quibus hæc realiter differunt, talem ordinem habent inter se, vt intellectus tantum sit directiuis; voluntas determinatiua; potentia verò solum executiua operis externi: igitur similis ordo ponendus est inter hæc tria in Deo, vt intellectus sit tantum directiuis; voluntas tantum inclinatiua, seu determinatiua; potentia verò solum executiua operationis ad extra. Minor constat. Maior probatur, quia omnis distinctio secundum quid, qualis est distinctio rationis, reduci debet ad distinctionem simpliciter, qualis est distinctio realis.

16. TERTIA sententia docet, potentiam executiuâ in Deo nullâ ratione distinguî ab intellectu & voluntate. Est Ferrariensis 2. contra gentes, c. 10. sub finem, Molina 1. p. q. 25. art. 1. disp. 2. Valentiz q. 19. puncto 6. & q. 25. puncto 1. Vasquez disp. 102. c. 3. in quam inclinans S. Doctor 1. p. q. 25. ar. 1. ad 4. Caietanus ibidem, & Scotus in 1. dist. 37. Pro cuius controuersie explicatione,

17. DICO 1. Potentia actiua in Deo non distinguitur ab essentia Dei, tanquam ratio formalis ab ea perfectè cõdiuisa, etiam secundum rationem explicitam, sed tanquam ratio formalis includens illam, & superaddens illi vim productiuâ. Explico. Duplitter vna perfectio Diuina includere potest aliam, vno modo tanquam ratio specifica genericam & communem; alio modo vt rationem integratam, & quasi complementem eandem rationem specificam. Exemplum primi: Sapientia Diuina, non quæ sapientia est formaliter, sed quæ Diuina, includit implicitè bonitatem, quia quæ Diuina dicit illimitationem in omni genere perfectionis;

quæ verò sapientia dicit illimitationem in genere duntaxat sapientie. Exemplum secundi: intellectualitas Diuina non solum quæ Diuina, sed etiam quæ intellectualitas est, quidditatiue dicit perfectionem Spiritus. Potentia igitur actiua in Deo non modò quæ Diuina, sed etiam quæ potentia est, includit formaliter essentiam; & consequenter secundum propriam rationem formalem explicitam non perfectè cõdiuiditur ab essentia. Sed illam includit, tanquam rationem integrantem ipsam explicitam formalitatem potentie. Hanc colligo ex S. Th. q. 1. de potentia, ar. 1. ad 9. vbi docet, essentiam ipsam Dei, superaddita tantum per intellectum relatione principij, habere rationem potentie. Nec contrarium docet ad 14. vbi affirmat, potentiam in Deo ratione distinguî ab essentia. Intelligitur enim de distinctione per modum includentis & inclusi: etenim licet potentia includat formaliter essentiam, non tamen essentia includit formaliter & explicitè potentiam.

18. Assertio sic explicata probatur hac vnica ratione fundamentali. Potentia productiua in Deo in sua ratione formali explicita dicit actum purum, illimitatum in omni genere perfectionis; ergo in sua ratione formali explicita includit essentiam. Consequentia patet, quia sola essentia includit in sua ratione formali explicita actum purum illimitatum in omni genere perfectionis, cum omnis alia perfectio Diuina secundum suam rationem formalem explicitam limitetur ad vnum duntaxat genus perfectionis, exempli gratia sapientie, aut bonitatis: sola essentia secundum rationem formalem explicitam includit omnem omnino perfectionem. Antecedens verò probatur, nam potentia Diuina & ex modo producendi per actionem creatiuam independentem à subiecto, & ex infinitis creabilibus perfectioribus, & perfectioribus, quæ in se ipsa præhabere debet vt causa eminentissima omnium, formaliter & explicitè importat actum purum, illimitatum in tota latitudine essendi; alioqui non posset esse causa eminentissima omnium: nam sicut hæc non limitantur ad certum genus perfectionis creabilis, ultra quam non sint alia creabilia; ita nec causa limitari potest ad certum genus perfectionis increatæ, ultra quam non possit alia & alia perfectiora in infinitum creare.

19. Confirmatur: Nam potentia Diuina explicitè importat vim producendi, quid quid contradictionem non inuoluit; ergo explicitè importat totam latitudinem entis possibilis. Antecedens patet, quia potentia Dei se extendit ad omne id, quod participare potest rationem entis; vnde solum à suo adequato obiecto excludit non ens, quod est illud, quod contradictionem inuoluit ad esse. Consequentia verò probatur, nam totum id explicitè importat potentia, quod formaliter præsupponitur à ter-

mino

Ferrariensis
Molina.
Valentia.
Vasquez.
S. Thomas.
Caietanus.
Scotus.

mino producibili, nam totum id est necessarium ad constituendam perfectam potentiam in ordine ad suum obiectum; atqui terminus producibilis est, quidquid participare potest rationem entis: ergo.

20. Dico secundo. Potentia actiua in Deo secundum suam formalem rationem explicitam non condistinguitur ab intellectu & voluntate, nisi ut ratio includens ab inclusa. Assertionis fundamentum est duplex. Primum est, quia nequit ea perfectio excludi ab explicita ratione potentiae actiuae Dei, quae sub ratione proximae potentiae productiuae ad extra illam constituit: atqui intellectus, & voluntas constituunt potentiam Dei sub ratione proximae potentiae productiuae ad extra; igitur non possunt excludi ab explicita ratione potentiae actiuae Dei. Maior constat, quia quidquid complet virtutem in ratione proximè operandi, clauditur in intrinseco, & essentiali conceptu illius. Minor probatur, nam potentia Dei productiua ad extra, non est quaecunque potentia, sed libera, & artefactiua rerum; est enim potentia agentis liberi, ut liberi formaliter, nam hæc tantum potentia ad extra productiua dicit perfectionem simpliciter simplicem: sed talis potentia in sua ratione formali explicita includit intellectum, & voluntatem; nam quæ artefactiua est, includit intellectum, cuius directione tendit ad opus exemplandum; quæ verò libera, includit voluntatem, cuius libertate proximè determinatur ad opus exequendum: ergo ab utroque proximè completur in ratione potentiae ad extra productiuae; atque adeo utrumque in sua ratione formali completa explicitè includit. Confirmatur, quia in Deo quodlibet attributum assignari debet cum omni perfectione, quæ ab ipso intrinsecè exigitur: sed intellectus & voluntas sunt perfectiones quæ ab omnipotentia Dei intrinsecè exiguntur; quia sine ijs non est proximè operatiua ad extra: ergo.

21. Secundum fundamentum est, quia nequit voluntas Diuina liberè aliquid velle, nisi per connotationem effectus liberè à se dependentis: ergo potentia Dei operatiua ad extra includit voluntatem. Antecedens constat ex suprâ disputatis de voluntate Dei. Consequentia verò probatur, nam si potentia Dei operatiua ad extra non includeret formaliter voluntatem, deberet, antequam produceret effectum, liberè determinari ab actu Diuinæ voluntatis, ratione antecedente effectum ipsum producendum, cum nequeat potentia executiua Dei suum opus ad extra producere, nisi liberè: ergo nisi ipsa ponatur intrinsecè libera, se ipsa ab intrinseco determinans ad opus exequendum, determinari debet ab extrinseco actu voluntatis, ratione præcedente ipsam operis executionem: quia cum talis executio non sit libera ab ipsa potentia executiua, à qua immediatè promanar; siquidem hæc ponitur virtualiter di-

stincta ab ipsa voluntate, debet saltem fieri libera ab extrinseco actu voluntatis, sicut fiunt in nobis liberæ operationes potentiae executiuae ab extrinseco actu voluntatis imperantis, & determinantis potentias ipsas executiuas ad opus exequendum. Implicat autem, potentiam executiuam Dei liberè determinari ad opus exequendum ab extrinseco actu libero Diuinæ voluntatis, ratione præcedente ipsam externi operis executionem: ergo. Minorem probo, quia implicat, Deum habere actum liberum absque connotatione alicuius effectus liberè à se dependentis. Ergo implicat intelligere in Deo vllum actum liberum ante ipsam externi operis executionem: intelligeretur autem aliquis actus liber in Deo ante ipsam externi operis executionem, si potentia executiua deberet applicari ad opus exequendum per actum liberum diuinæ voluntatis, ratione præcedentem ipsam operis executionem. Maior patet, nam si actus voluntatis in Deo sit liber formaliter per ipsam externi operis connotationem, implicat illum intelligere formaliter liberum ante talem operis executionem. Maior probatur, quoniam prius ratione, quam potentia executiua suum opus exequatur, intelligi debet liberè determinata & applicata ad tale opus exequendum. Igitur ante ipsam operis executionem præintelligi debet actus liber Diuinæ voluntatis, applicantis, & determinantis potentiam executiuam ad tale opus exequendum.

22. Hoc autem incommodum in nostra sententia facilè euitatur, quia non debet actus liber in Deo præcedere ipsam operis executionem: nam cum potentia executiua in nostra sententia non distinguatur ab ipsa libera voluntate Dei, non est necesse, ut ipsa voluntas liberè determinetur ad opus exequendum per actum alterius potentiae, sed determinatur per ipsammet operis executionem, liberè à se producendam: non secus ac determinatur voluntas ipsa creata ad liberam elicitionem suæ volitionis, non per aliquem alium actum liberum præcedentem, sed per ipsammet liberi actus productionem, liberè à se exequendam.

23. Ex his deducitur contra Molinam, potentiam executiuam in Deo non compleri proximè per ipsum actum liberum Diuinæ voluntatis, sed per potentiam in actu primo indifferentem. Tum quia potentia productiua, etiam ut proximè completa ad operandum, non liberè, sed necessariò inest Deo: actus autem liber voluntatis non necessariò, sed liberè inest Deo, quippe qui potuit non esse. Igitur non actus, sed potentia proximè complet principium productiuum ad extra. Tum quia actus Diuinæ voluntatis fit liber formaliter per ipsam connotationem effectus potentie executricis; igitur non potest, formaliter constituere ipsam potentiam executricem. Alioqui, ut formaliter constituens potentiam, deberet præce-

dere

Molina.

dere effectum ipsum potentie quatenus verò sit liber per connotationem effectus eiusdem potentie, quam constitueret, deberet supponere eandem potentiam iam constitutam: igitur non posset per connotationem effectus talis potentie constitui liber: alias supponeretur, & non supponeretur liber ante connotationem effectus. Secus autem est de intellectu, qui potentiam executivam complet, non ut potentia, sed ut actus directius operis. Tum quia esse proximè directivum operis, qualis poni debet potentia executiva in Deo, ut sit proximè completa, non est potentia, sed actus, quia per actum proximè diriguntur potentia ad opus exequendum. Tum quia scientia simplicis intelligentie, quæ tantum est causa rerum in Deo, non liberè, sed necessariò inest Deo.

24. *Obijcies* primò: Esse directivum, applicativum, & executivum operis in rebus creatis spectant ad diversas causas: nam esse directivum spectat ad causam idealem, esse determinativum ad causam liberam; esse executivum ad causam naturalem. Ergo etiam in Deo tales rationes spectabunt ad diversas causas. Consequentia probatur, nam de Divinis philosophandù est per proportionem ad creatura.

25. Confirmatur, nam sub alia ratione comparatur effectus creatus ad ideam Divinam, atque ad potentiam executivam: igitur nequeunt idea, & potentia executiva in Deo coincidere in eandem rationem formalem causandi. Antecedens probatur, quoniam ad ideam effectus comparatur, ut artefactus ad artem, siue ut exemplatus ad exemplar medià directione intellectus: ad potentiam verò executivam comparatur, ut terminus ad principium essendi medià actione ipsius potentie.

26. Secundò, quoniam eadem ratione dici posset, voluntatem in Deo non esse attributum ratione distinctum ab intellectu: nam etiam voluntas essentialiter supponit intellectum, siue cuius directione implicat, voluntatem in suum obiectum ferri.

27. Tertiò, Deus ab æterno dicitur voluisse mundum, cum tamen ab æterno mundum non produxerit: ergo productio effectus non est immediatè à voluntate Divina, consequentia probatur, quia si esset immediatè à voluntate Divina, cum hæc nequeat liberè velle, nisi aliquid ad extra producendo, cum nihil ab æterno produxerit, nihil dici posset ab æterno voluisse, sed tantum in tempore, quando mundum ipsum produxit.

28. Quartò, Imperfectio est in creaturis, ut in eadè causa assignari debeat ratio proxima, & remota. Sed si in Deo potentia activa includeret formaliter intellectum, & voluntatem in eadem potentia distingueretur virtualiter ratio proxima, & remota, nam voluntas tanquam proxima ratio determina-

ret essentiam ad virtutem proximè productivam.

29. Respondeo ad primum, negando Antecedens. Ad cuius probationem dico, omnes illas tres rationes spectare ad eandem causam agentis intellectualis proximè & perfectè completam: quòd autem illæ in rebus creatis distinguuntur, est propter imperfectionem agentis creati, quod nequit eas omnes continere in eadem ratione formali perfectè unitas, ob sui limitationem. Sicut ob eandem limitationem nequit continere rationes causæ proximæ & remotæ in eadem formalitate unitas, sed in pluribus dispersas. Confirmatur: quia Aristoteles causam exemplarem non distinguit ab efficiente intellectuali, sed ad eam tanquam proximum complementum reduxit: in Deo autem non est alia potentia activa ad extra nisi intellectualis, quæ ad sui complementum essentialiter postulat tres illas rationes.

30. Ad Confirmationem respondeo, distinguendo antecedens: comparatur diverso modo, spectante ad diversum genus causæ, & nego: comparatur diverso modo, spectante ad idem genus causæ intellectualis agentis integrè & perfectè constitutæ & concedo.

31. Ad secundum nego sequelam. Etenim ratio, cur omnes tres illæ rationes spectent ad eandem formalitatem causæ ad extra productivæ, non est, quia una essentialiter supponit aliam, sed quia omnes per se integrantes eandem formalitatem causæ agentis intellectualis. Esto igitur voluntas essentialiter supponat intellectum, quia tamen modus agendi unius non pertinet per se ad modum agendi alterius; ut ratio formaliter integrantes, sed tantum ut ratio essentialiter præsupposita, non dicuntur coincidere in eandem, sed in diversas rationes formales, explicitas.

32. Ad tertium nego consequentiam, ad cuius probationem dico, Deum liberè ab æterno voluisse mundum, per ordinem ad productionem mundi, ab ipsamet voluntate in tempore exequendam. Vnde ex ipsa æternitate non priùs intelligitur Deus voluisse mundum, quàm fuerit determinatus per ipsam productionem mundi futuram, ab ipsamet voluntate liberè exequendam.

33. Ad quartum respondeo, tunc rationem proximam & remotam involvere imperfectionem, quando illæ distinguuntur, tanquàm duæ formalitates homogeneæ, integrantes idem proximum genus causæ: secus quàm do distinguuntur tanquam duæ formalitates heterogeneæ unius & eiusdem causæ. Ceterum intellectus & voluntas divina non comparantur ad essentiam quasi duæ formalitates homogeneæ, sed heterogeneæ eiusdè potentie proximè productivæ; ille in ratione directivi, hæc in ratione liberi operativi.

34. Ex dictis soluitur alia quæstio, per quam rationem ex his tribus, quas potentia divina productiva ad extra includit, immedia-

tius

tius & proximius attingat effectus? Dicendum enim est coherentius ad nostra principia, essentiam non attingere immediatius effectum, quam attingat ipsa voluntas; nec contrā, sed utramque simul illum immediatē attingere. Fundamentum est, quia si immediatius illum attingeret essentia, illum non attingeret ut potentia libera, quia essentia non est proximē formaliter libera, nisi ut includens voluntatem. Si autem illum immediatius attingeret voluntas, aut illum attingeret ut obiectum, aut ut effectum: si ut obiectum, iam conciperetur actus liber in Deo ante connotationem effectus liberē à se dependentis; si ut effectum, igitur non tantum attingeret illum, ut voluntas, sed etiam ut potentia atque adeo ut includens essentiam.

35. Maior difficultas est de causalitate intellectus; an immediatius attingat effectum, quam voluntas ipsa: Et ratio dubitandi est, quia causalitas intellectus præcedit causalitatem voluntatis in ordine ad eundem effectum, dirigendo tantum per modum artis & obiecti propositionem, per quam voluntas ipsa inclinatur ad effectum volendum & exequendum. Confirmatur, quia intellectus non se extendit immediatē ad opus ipsum exequendum, sed immediatē tantum dirigit voluntatem, quæ directa ipsa per se, vel per potentias executrices opus exequitur.

Docti Recentiores.

36. Ita Docti recentiores: quæ sententia procul dubio, probabilis est: oppositam tamen puto probabiliorem, scilicet non tantum mediātē, sed etiam immediatē & proximē intellectum diuinum per suam increatam artem, quæ est practica notitia rerum factibilium, attingere effectus creatos, non quidē in ratione entis, sicut attingitur à voluntate, sed in ratione operis artificiat. Est enim hæc maior perfectio scientiæ diuinæ, ut possit ipsa immediatē, nullo alio mediante, ad opus delineandum & exemplandum se extendere. Nec refert quod actus scientiæ sit immanens: quia non repugnat eius immanentia, ut immediatē se extendat ad opus externum effigandum.

S. Thomas.

37. Fundamentum primæ sententiæ solum probat priorem nostram assertionem, nempe potentiam Dei non perfectē distingui ab essentia eiusdem, sed tantum ut includens ab inclusō, quia nimirum potentia includit essentiam, & superaddit illi rationem principij, ut rectē S. Th. præcitata quæstione de Potentia.

38. Ad primum argumentum secundæ sententiæ respondendum est eodem modo. Ad secundum nego minorem. Ad cuius probationem negandum est effectus creatos non contineri virtualiter in intellectu & voluntate diuina, in illo ut in arte; in hac ut in causa liberē productiua, quæ ut sic explicite includit essentiam illimitatam in omni genere perfectionis.

39. Ad tertium distingo maiorem. Virtus, quæ secundum proprium modum ope-

randi indifferenter se habet ad necessaria & libera, non potest ut sic esse principium productiuium ad extra, concedo; cum principium productiuium ad extra non possit esse nisi circa libera. Nego tamen ut sic intellectum & voluntatem integrare formaliter potentiam actiuam in Deo, sed solum ut versantur circa libera: sub qua tantum ratione proximē complent potentiam actiuam Dei, ut sic autem intellectus & voluntas non habent rationem formalem ad libera & necessaria indifferenter, sed limitatam tantum ad libera.

40. Ad confirmationem neganda est maior de intellectu & voluntate diuina in ordine ad obiecta libera. Nec obstat eorum immanentia, quin ferri possint ad obiecta realiter attingenda, intellectus sub ratione artis; voluntas verò sub ratione potentiæ liberē productiue: à quibus obiecta non solum habent extrinsecum esse cognitum & volitum, sed etiam intrinsecum esse artificiatum, & existentia.

41. Ad quartum nego minorem: ad cuius probationem negandum est, in tali casu potentiam Dei mensuram ut proximē completam ad operandum ad extra: quia hæc non solum importat eminentialem continentiam creaturarum, sed etiam actiuam indifferenteriam ad hoc vel illud producendum, defectu cuius indifferenteria non esset in eo casu in Deo potentia productiua ad extra. Hanc autem actiuam indifferenteriam formaliter habet potentia Dei per intellectum & voluntatem. Ad confirmationem concedenda est maior de vi productiua necessaria; neganda de vi productiua libera, qualis est potentia Dei actiua ad extra.

42. Ad quintum concedenda est maior, quando distinctio rationis non præiudicat perfectioni diuinæ, neganda verò, quando diuinæ perfectioni præiudicat, ut præiudicat perfecta condistinctio rationis intellectus & voluntatis à potentia actiua Dei; quæ quamdiu non concipitur ultimò compleri per intellectum & voluntatem, non concipitur proximē operatiua ad extra.

SECTIO II.

An, & qua ratione Potentia Dei sit infinita?

43. **D**VPRIMX infinitas in potentia Dei consideranda est; altera ex parte subiecti, altera ex parte termini. Prior desumitur ab ipsa essentia diuina; posterior per ordinem ad terminum, quem potest producere. Prior dicitur infinitas intensiua, posterior extensiua, utramque infinitatem reperi in omnipotentia Dei, omnes conueniunt. Sola difficultas est, quo pacto talis infinitas ex infinitate essentiæ, & termini col-

ligatur;

ligatur; &, an naturaliter demonstrari possit?

44. Priorem infinitatem ex essentia infinitate sic deduco. Vnumquodq. est actiuū secundum quod est actus; Deus est ens, actu infinitum; igitur est infinite potens. Maior est commune Philosophorum, Theologorumque axioma. Cuius ratio à priori est, quia quod agit, debet præhabere effectum, quem agit; cum enim agere sit communicare esse effectui, qui agitur; nemoque communicare possit esse, quod in se ipso non præhabeat; necessarium qui agit, supponi debet in actu, aut formali, aut virtuali respectu illius esse, quod debet agendo communicare. Minor supponitur ex supra demonstratis de natura & essentia Dei. Consequentia vero constat: nam siue dicamus potentiam Dei includere formaliter essentiam, siue esse quasi proprietatem illius, euidenter sequitur, talem potentiam esse infinitam. Nam si essentiam includat formaliter, includit pariter cum illa infinitatem ipsius; si verò sit tantum proprietatis, cum omnis proprietates proportionari debeat essentia, cuius est proprietates; potentia Dei tanquam proprietates essentia infinita, necessario erit infinita.

45. Eadem infinitas potentia Diuina colligitur ex modo operandi independentem ab omni alio agente, tum ab omni subiecto. Nam prior independentia necessario supponit illimitationem in essendo, cum nequeat limitari is, qui à nullo pendet; cum omnis limitatio sit ab aliquo per suam causalitatem effectum limitante. Posterior supponit in producente perfectionem actus puri; cum nequeat creare, nisi qui actionem immanentem habet identificatam cum propria substantia, quod est proprium actus puri, ut ex disputatis supra de essentia Dei constat.

46. Posteriorem verò infinitatem ex infinitate termini producibilis sic infero. Terminis producibilis ab omnipotentia Dei, est quidquid in se ipso contradictionem non inuoluit. Sed talis terminus necessario supponit in Deo potentiam infinitam: ergo. Maior probatur, nam ille est terminus producibilis ab omnipotentia Dei, qui participare potest aliquam rationem entis: cum enim in Deo sit vniuersa ratio entis, quidquid participare potest rationem entis, erit terminus diuinæ omnipotentia. Nam ille est terminus adæquatus alicuius potentia, qui adæquate responderet actualitati talis potentia; cum vnumquodque sit actiuum secundum quod est ens actu: ergo cum Deus sit actu omne ens, nullum à se excludens, nisi tantum non ens, adæquatus terminus ab ipso producibilis erit quidquid participare potest rationem entis: unde solum ab ipso termino excluditur non ens, quod est quidquid in se ipso contradictionem inuoluit. Minore ostendo, quia cum talis terminus non limitetur ad certum genus, vel gradum entis, sed complectatur totam latitudinem entis creati, necessario

supponit in causa virtutem infinitam; alioqui deueniretur tandem ad aliquem terminum finitum, ultra quem perfectior produci non posset, non ratione formalis repugnantia termini producibilis, sed defectu actiuitatis virtutis productiua.

47. *Obijctes* 1. Nam posterior probatio committit circulum; probat enim infinitatem potentia ex infinitate termini; & rursus infinitatem termini ex infinitate potentia. Confirmatur: nam res dicuntur producibiles à potentia Dei: igitur probare infinitatem potentia ex infinitate termini producibilis, est probare infinitatem potentia ex infinitate potentia: quod est vitiosum circulum committere.

48. Secundò. Multa Deus nequit facere, non propter formalem repugnantiam termini, sed defectu virtutis productiua: cuiusmodi sunt habitus inclinantes ad falsum, vel ad peccatum, iudicia erronea, & actus peccaminosi, hæc enim non ideo à Deo fieri non possunt, quia in se ipsis repugnantiam inuoluunt, alioqui neque fieri possent à creatura, vel à Deo ut causa prima; sed quia in Deo non est potentia proxima ad ea efficienda.

49. Respondeo ad primum negando assumptum, & ad probationem concedo, in posteriore demonstratione probari infinitatem potentia ex infinitate termini. & rursus infinitatem termini ex infinitate potentia, sed aliunde eius infinitatem demonstrata, nempe ex infinitate essentia, & entis à se. Unde tantum sequitur; quod posterior probatio supponat priorem, aliunde demonstratam. Hoc autem non est vitiosum circulum committere, quia hic tantum committitur, quando idem probatur per idem aliunde non demonstratum.

50. Ad Confirmationem distingo antecedens: dicuntur res producibiles à potentia actiua Dei respectiue, & concedo; absolute & nego. Etenim duplex possibilitas seu producibilis distinguenda est in rebus, altera respectiua desumpta ab ipsa extrinseca potentia Dei, à qua res extrinsece denominantur posibles, seu producibiles, quatenus ab illa possunt accipere esse; altera absoluta & intrinseca rebus, à qua res ipsæ intrinsece denominantur posibles seu producibiles, non positiue, cum hæc non sit aliqua positiua aut realis potentia in rebus existens, sed negatiue & per intrinsecam non repugnantiam, quæ appellari solet potentia Logica, & consistit in intrinseca connexionem & coherentiam extremorum. Quando igitur probatur infinitas potentia Dei, non probatur ex possibilitate respectiua desumpta ex potentia actiua Dei, sed ex infinitate absoluta desumpta ex intrinseca non repugnantia, & coherentia extremorum; est enim in rebus quædam intrinseca non repugnantia, ratione cuius quantum est ex parte ipsarum, non repugnat esse, si aliunde non desit sufficiens virtus productiua, potens illas traducere à non esse

ad

Axiomata
Philosopho-
rum & Theo-
logorum.

ad esse. Sicut supponitur in alijs intrinseca repugnantia & discohærentia extremorum, ut per nullam potentiam possint ad esse traduci, cum ex se non sint realis existentia capaces. Vis igitur productiva Dei, cum fundetur in entitate complectente vniuersam rationem essendi, non potest à suo adæquato obiecto excludere, nisi id, quod nullam participare potest entis rationem.

51. Ad secundum concedo, esse aliqua, quæ Deus facere non potest, ut causa particularis, non ratione formalis repugnantia extremorum, aut defectu virtutis actiue in Deo, quandoquidem ea producere potest simul cum creaturis, ut causa prima vniuersalis; sed ratione moralis malitiæ, aut falsitatis, quam includunt. Deus enim, cum sit summe bonus, & verax, non potest velle ea, quæ summe sunt bonitati, & veracitati repugnare: cum enim non agat ad extra, nisi libere; libere autem velle non possit, nisi quæ sunt propriæ bonitati & veracitati conformia, repugnat, ut tanquam causa particularis producat, quæ vel ad falsitatem, vel ad malitiam immediatè inclinant: esto ad ea producenda non desit potentia simpliciter.

52. Atque hæc de priori controuersia. De posteriori autem, an hæc potentia, ut intensiue, & extensiue infinita, naturali ratione demonstrari possit, discrepant Scholastici. Negant Scotus in primo dist. 42. & quodlibeto 7. Ockamus, Gabriel, Marfilus, & alij eadem distinctione.

53. Affirmant verò Aureolus in 1. dist. 42. p. 2. a. 1. proposi. 3. Argentina artic. 2. Zumel 1. p. q. 25. art. 2. q. vnica, concl. 2. Molina art. 3. Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 17. & alij. Quorum sententia probabilior est, & amplectenda. Cuius fundamentum est, quoniam naturali lumine nobis euident est, Deum esse infinitæ essentia; ergo & infinitæ virtutis. Antecedens constat ex disp. 3. Nam quæ ratione demonstratur, Deum esse primam causam & ens à se; eadem demonstratur esse infinitæ essentia; cum non habeat à quo in suo esse limitari possit. Consequentia verò probatur: nam potentia, quæ fundatur in essentia infinita, nequit esse finita; potentia enim sequitur actualitatem essentia; nam vnumquodque agit secundum quod est ens actu: ergo si hæc naturali discursu demonstratur infinita, eodem naturali discursu demonstrabitur infinita & illa.

54. Ex dictis infertur 1. Discrimen inter obiectum potentia; & scientia; Diuinæ, quatenus hæc speculatiua est. Nam obiectum scientia; speculatiua; non fit, sed supponitur ab ipsa scientia: obiectum verò potentia; non supponitur, sed fit ab ipsa potentia secundum reale esse positium; licet supponatur secundum esse logicum & negatiuum. Cuius discriminis ratio est, quia scientia speculatiua, est pura contemplatio sui obiecti: potentia verò est practica & factiua sui obiecti.

55. Infertur 2. Quo pacto non modò

ens, verum etiam ipsum non ens sit obiectum Diuinæ omnipotentia;. Duplex quippe non ens distinguendum est, aliud essentialiale & necessarium; aliud accidentale & contingens. Primum est, quod in se ipso contradictio nem inuoluit; quod propterea dicitur essentialiale & necessarium, quia per nullam potentiam fieri potest, ut definat esse non ens: sicut ex opposito dicitur Deus ens essentialiale & necessarium, quia per nullam potentiam fieri potest, ut definat esse. Secundum est, quod ex se nullam quidem habet existentiam aut rationem entis, non tamen habet ad illam repugnantiam: qua de causa dicitur non ens accidentale & contingens, quia potest definire non esse & incipere esse. Sicut è contrario dicitur res creata existens ens accidentale & contingens, quia potest cessare ab esse.

56. Hoc adnotato, ex dictis sequitur, non ens essentialiale nullo modo esse obiectum diuinæ omnipotentia;. Nam illud excluditur ab obiecto alicuius potentia;, circa quod nullo modo potest talis potentia versari: atqui diuina potentia nullo modo versari potest circa non ens essentialiale; igitur nullo modo clauditur intra ipsius obiectum. Maior constat, nam eatenus dicitur res pertinere ad potentiam aliquam, quatenus circa illam potest potentia ipsa versari, alioquin non foret maior ratio, cur potius vna, quam alia res diceretur ad talem potentiam pertinere. Minor verò probatur, quia tunc dicitur potentia non posse circa aliquid versari, quando illud attingere non potest per suum proprium modum operandi: atqui proprius modus operandi potentia; actiua;, est traducere suum obiectum à non esse ad esse; vel contrà ab esse redigere ad non esse. Cum igitur nequeat diuina potentia traducere non ens essentialiale ad esse, cum sit incapax omnis realis existentia;, non poterit circa illud versari per suum proprium modum operandi.

57. Ob eandem rationem neque Deus cadit sub obiectu diuinæ potentia;, quia non est attingibilis per proprium modum operandi potentia; actiua;, cum non sit capax productionis, vel destructionis, qui sunt proprii modi operandi potentia; actiua;. Continetur autem Deus intra obiectum intellectus & voluntatis, quia est capax intelligibilitatis & amabilitatis, sicut ipsum non ens essentialiale, indirectè saltem est capax intelligibilitatis, & simplicis displicentia;. Atque hoc quoad ens essentialiale & necessarium.

58. Quoad ens verò accidentale & contingens, oppositum infertur ex dictis, nempe illud contineri intra sphaeram obiecti diuinæ omnipotentia;, non solum per modum termini à quo, quatenus efficacia diuinæ omnipotentia; traducibile est à suo non esse ad esse realis existentia; sed etiam per modum termini ad quem, quatenus virtute eiusdem diuinæ omnipotentia; potest esse terminus suspensionis actiua; conseruatiua; aut primariò, ut in annihilatione; aut secundariò, ut in

generatione

Scotus.
Ockam.
Gabriel.
Marfilus.
Aureolus.
Argentina.
Zumel.
Molina.
Suarez.

generatione vnius & corruptione alterius.

59. Cæterum dubitabile est, an ipsum non esse creaturarum, quatenus à Deo quodammodo conseruatur in tali non esse, dici possit terminus Diuinæ potentie. Ratio autem dubitandi est, quia talis permanentia creaturarum in non esse, est voluntaria Deo, qui positivè vult tales creaturas non esse. Sed in nostra sententia potentia executiva in Deo non distinguitur à voluntate eiusdè: igitur talis permanentia creaturarum in non esse, vt positivè voluntaria Deo, est quodammodo actio potentie Dei, conseruantis creaturas in suo non esse.

60. Respondeo huiusmodi non esse creaturarum solum esse obiectum remotum, non autem proximum diuinæ potentie, quatenus nimirum fieri potest actualis terminus diuinæ potentie, aut media actione positiva traductiva creaturas de non esse ad esse, aut suspensiva actionis conseruatiue, redigente creaturas de esse ad non esse. Ad rationem verò dubitandi negatur cõsequentia. Etenim non quicumque actus diuinæ voluntatis est actualis executio potentie diuinæ, quamuis omnis executio potentie diuinæ sit ab ipsa voluntate diuina; eò quòd voluntas ad plures operandi modos se extendit vt voluntas, quàm vt potentia exequens, nam vt voluntas se extendit ad diligendam suam essentiam, & creaturas secundum esse possibile, ad quæ non se extendit, vt potentia exequens. Quare dicendum est, voluntatem Diuinam extendere se ad non esse creaturarum, vt purâ voluntatem nolendo illas ad esse traducere, non autem vt potentiam, aliquid circa illas operando.

61. Inferitur 3. An potentia Dei se extendere possit ad præterita, efficiendo vt præ-

terita non sint. Etenim, si præterita accipiantur in sensu composito, & reduplicatiuè ex suppositione quòd fuerint; implicat, Deum efficere, vt præterita non sint. Sic enim apertam inuoluunt contradictionem: nam quatenus supponuntur fuisse, connotant esse præteritum; quatenus verò desinerent esse præterita, connotarent non esse præteritum; atque adeò simul essent, & non essent præterita. Confirmatur, quia implicat ex suppositione quòd res est præsens, vt non sit præsens; eò quòd simul esset, & non esset præsens: ergo pariter implicabit ex suppositione, quòd res fuerit præterita, vt non sit præterita, quia simul esset, & non esset præterita. Si verò præterita accipiantur in sensu diuiso & specificatiuè, non facta suppositione, quòd fuerint, possunt non fuisse, quia nimirum id, quod fuit, potuit non fuisse, si Deus illud non produxisset: sicut id, quod est præsens, in sensu diuiso & specificatiuè potest non esse præsens. Ratio, quia vt sic non componitur esse cum non esse pro eadem duratione simul.

62. Inferitur 4. Celebris illa partitio potentie Diuinæ, in *Ordinariam* seu *Ordinatam* & *absolutam*: Prior est potètia, vt substat actuali decreto Dei, quod de facto statuit iuxta hanc legem & ordinationem mundum gubernare. Posterior est potentia Dei, considerata secundum suum absolutum posse nulli certæ ordinationi, aut decreto alligata. Vnde multa dicitur Deus non posse de potentia *ordinata*, quæ de potentia *absoluta* nõ implicat fieri. Et sub alijs terminis dicitur, multa non posse de *iustitia*, quæ posset de *potentia*; quia secundum Anselmum id tantum est iustum, quod est diuinæ voluntati conforme.

Anselmus.

